

tura titularis in indice mandatu concilii episcopalis composito inscreberetur.

Inter parochos fuit unus canonicus Ord. Praemonstratensis, Gerhardus Bolla — ibique est sepultus — professus quondam Csornensis, qui post saecularisationem Josephinam dioecesim Vespriemiensem est transgressus (48).

A. HORVATH

* * *

DE CONVENTUS LELESZIENSIS ACTIVITATE
AUTHENTICA DIPLOMATIBUS EXPEDIENDIS
USQUE 1569 (*). -:- -:- -:- -:-

Praepositura S. Crucis de Lelesz, ordinis canonicorum Praemonstratensium, fundata est sub fine saeculi XII a Boleslao episcopo Vaciensi, quae fundatio a Bela III rege Hungariae est confirmata. Litteras fundationales autem rex Emericus, cum Boleslaus ad factionem Adreanam transivisset, annihilaverat, anno 1214 tamen Andreas II istis litteris renovatis iura et existentiam praepositurae Lelesziensis omnino salvam reddidit.

Conventus certe ab ista confirmatione regium se esse dicit diserte in litteris seu diplomatibus a se emissis. Praeposituram fuisse regiam evincitur etiam e iure supremi patronatus regum Hungariae, super ipsam habito, vel nonnunquam etiam aliis tradito. In electionem quoque praepositorum se immittebant.

Praeter vitae genus ecclesiasticum, videlicet professam vitam canonicam etiam in foro civili certum munus, fungi scilicet activitate publica authentica monasteriorum suorum qua locorum credibilium, Praemonstratensibus in regno Hungariae ut finis existendi est impositum, quo ordo noster characterem aliquem specialem induit quasi nationalem, quod in canoniis nostri ordinis extra Hungariam frustra quaeras. Saeculum enim XII atque XIII constituunt specificum tempus evolutionis in capitulorum conventuumque activitate

(48) Gerhardus Bolla fuit parochus et in Osztopán (1802) Csorna : f. 35. n. 17

(*) Hoc opusculum — a Dre. Laurentio Spilka canonico Jaszoviensi in linguam latinam translatum — est summarium dissertationis meae in fasciculis 1. et 2. periodici *Turul* Budapestini 1928 proditae. Si quis ampliorem cognitionem rei archivisticam ac litterariam habere velit, liceat mihi dissesationem memoratam cum commentariis ipsi commendare.

diplomatibus expendendis. Talium collegiorum auctoritas plus quam modica, sodaliumque singulorum quibus coaluerant exculi animi, iurisperitia, fiducia, facultas stylaris, atque horum collegiorum in certa parte seu loco regni stabilitas domuumque eorum ad litteras deponendas idoneitas effecerunt, ut fides publica, fundamentum hoc activitatis authenticae locorum credibilium ad eas convertisset.

De momento temporis, ex quo conventus Lelesziensis munere loci credibilis fungi de facto inceperit, deficientibus documentis firmum quid haud constat. Scientes autem conventum nostrum fuisse unum ex istis regiis, supponimus, quod auctoritate maiore pollens fuerit quare et fides publica iam primitus ad eum verti potuit. Cumque conventus de Promotorio Magnováriadiensi ineunte XIII (1209) ut locus credibilis negotia egerit ac Jaszoviensi huiusmodi iurisdictio anno 1255 *scripto* data sit, fas erit stare pro eo, quod conventus Lelesziensis, cuius fundamenta prius, quam canoniae Jaszoviensis posita sunt, ut locus credibilis providere bono publico ante, minime autem postea, quam Jaszoviensis, idest labente prima medietate saeculi XIII, inceperit. Positioni quaestionis nostrae accedit quoque quod conventus de Lelesz, ut diplomata seu litteras expederit, maiore necessitate compellebatur, quam isti alii, quia cum capitulum cathedrale de Várad acta expeditionesque in districtu suo etiam ipsum solum peragere sufficiens fuisset, districtui vero conventus Jaszoviensis capitulum Agriense vel Scepusiense providere sat facile valuisset: regnicolis illius partis Hungariae, quae cecidit inter septemtrionem et orientem, multae iam difficultates quoad litteras obtinendas obstitissent, si forte capitulum de Várad, vel de Scepus, vel Agriense ipsis adeundum remansisset. Nec mirum igitur, quod ad monasterium Lelesziense, situm in vicinitate se contulerint. Consideratis his omnibus, initia activitatis conventus Lelesziensis ad instans saeculum XIII reduci posse affirmamus, ac iurisdictionem suam a rege accepisse, quod et in arengis litterarum eius plerumque legitur.

Eodem fere tempore conventui iam concedebatur usus sigilli unde facultas iuridice agendi promanat. Hoc sigillum conventus est forma sua rotundum et exhibet symbolum quoddam, circumductum scripto, nomen conventus indicante. Symbolum est imago crucis duplae impendens, superscriptio vero talis est: «S. CONVENTUS. DE. LELES. †». In parte superiore cernitur ab dextra stella sexticornis, a sinistra vero lunula, ambabus extremitatibus suis in celsum versa et in imis frondes singulae ab utraque parte crucis

ad limbum se protendentes. Sigillum hoc in usu fuerat usque ad annum 1655.

Expeditiones conventus saeculi XIII minore numero tantum, ac etiam illa nonnisi post annum 1270 confecta nobis nota sunt. Territorium iurisdictionis sicut et extensio ipsius iurisdictionis conventus in annos crescebat usque ad medietatem saeculi XIV, quando in forma et extensione stabili ac finali determinantur, atque magnus quidam apparatus cum cancellaria, necnon archivum seu conservatorium litterarum excultum est.

Territorium districtus conventus duplex secundum duplicem divisionem activitatis eius (tum quoad fassiones, tum quoad relationes) distinguitur, quorum limites postremo haud multum a se discrepant. Pro certo ac legali conventus nostri districtu data quam plurima indicant comitatus de Zemplén, Sáros, Abauj, Ung, Bereg, Ugocsa, Máramaros, Szatmár, Kraszna, Középszolnok et de Szabolcs, ast sat magno numero obveniunt in datis homines conventus exmissi in comitatus de Belső-Szolnok, Bihar, Borsod, Heves, Torna, Gömör, Szepes, Kolozs et de Doboka, et e converso etiam ipsi incolae horum comitatum ut partes fatentes coram conventu in Lesz constituti.

Locorum authenticorum activitas diplomata expediendi in eo constitit, quod testabantur idest fidem faciebant super aliquo actu iuridico aut super mandatis magistratuum publicorum iam executis et de ipsa testificatione litteras, aut relationes, sigillo autentico munitas conficiebant. Hic ergo duo momenta prae oculis sunt habenda, etquidem 1. functio quaedam praeparatoria, natura sua et characterе iuridica, et 2. quae huic insequabatur, scriptoria, idest ipsa expeditio litterarum. Labor autem scriptorius pro characterе dispescitur in emissiones diplomatum et relationum. Simulac praxis apud loca credibilia verum iam systema prae se ferre inceperat, hoc duplex munus a duobus apud collegia diplomatum expediendorum organis administrari solebat : 1. quod characteris erat iuridici, totum capitulum vel conventus universim perficiebant, executiones vero externas (scl. in peripheriis) faciendas illi, quos ipsi e gremio suo pro casu emiserant, et 2. labor scriptorius a cancellaria conventus aut capituli ut corpore scriptorum seu scribarum instructio absolvebatur. Cum functionis expeditioni antecedentes in genere eadem apud omnia loca credibilia fuerint, in reliquis nobis considerandum erit solum, operam conventus nonnisi scriptoriam administrans organum, characterе apud nostrum conventum pluribus ex respectibus proprio pollens dicendum : scl. *cancellaria* ; structura

nempe cancellariae, ratio agendi in eadem, expeditiones, taxae processuum, denique registra et archivum conventus.

Omnibus iis negotiis iuris privati, quibus providere valuerunt conventus maiores, valuit et conventus de Lelesz. Provisio negotiorum, seu omnimoda voluntatis manifestatio, natura sua iuridica, quae coram locis authenticis fieri solebat, venit sub nomine *fassionis*. Fassionibus celebrandis non deerant certae condiciones reglamentaque a parte locorum credibilium quam strictissime servanda. Sic fassiones, prout fieri potuit, audiebantur coram pleno conventu aut capitulo, praesente superiore, qui obligatione tenebantur respondendi pro administratione negotiorum. Et ipsae expeditiones conventus de Lelesz praesentiam complurium canonicorum vel totius conventus nunquam in audiendis fassionibus defecisse ostendunt, quod nos clare docent clausulae litterarum, in fine textum inventae.

Conventui primum erat identitatem cognoscere singularum personarum fatentium, et investigare, si aliqua coniunctio inter ipsas exsistat et qualis. Solum his transactis ipsa fassio succedere potuit. Triplice quidem modo: 1. oraculo vivae vocis, coram conventu, 2. oraculo vivae vocis, in praesentia deputati a conventu exmissi et 3. per procuratorem litteris procuratoriis constitutum. Notarius inter fatendum signaturas sibi parare solebat, ope cuius conceptus seu minutae litterarum in cancellaria conficiebantur. Peracta fassione de forma litterarum conventum est, simulque taxa solvebatur.

Qua organo auxiliari praeter fassiones notabilis pars obvenerat conventui rerum in foro iudiciali regni gerendarum ac in administratione publica, quo munere complectuntur: 1. executiones in variis processibus possessionariis (introductiones et statutiones) et 2. omnia fere momenta processuum iudicialium. Procedere fas erat ad sola mandata regia aut magistratuum publicorum regni et quidem secundum modum ab ipsismet praescriptum. Exstant in conventu Lelesziensi mandata emissa a rege, a regina, a palatino, a iudice curiae, ab archiepiscopo Strigoniensi, a baronibus regni, a magistro tavernicorum regis, a gubernatore regni, atque inde a saeculo XVI etiam a supremo capitaneo regni, a locumtenente regio aut palatinali.

In functionibus quae per mandata locis credibilibus praecipiebantur procedendum erat secundum communem iustitiam, servatis omnino praescriptis mandatorum. Iis qui fuerant causas acturi, impetrandae erat a rege vel magistratu quodam publico litterae mandatoriae, ad locum aliquem authenticum directae, atque isto conventui aut capitulo (per ipsos actores) praesentandae. Actus traditionis

seu praesentationis dicebatur « exhibitio ». Exhibitio apertisque litteris superior loci authentici quae per litteras praecipiebantur, executioni demandavit.

Mittebantur servato certo ordine successionis canonici ad mandata exsequenda, comitati a homine regio aut magistratuum ad id designato. Uterque, et conventualis et magistratus homines antequam egrederentur, iuramentum deponere tenebantur de eo, quod secundum iustitiam essent processuri. Quo facto restitit ipsa executio mandati. Ut de peracta executione recerterunt, uterque fassi sunt et secundum hanc fassionem scripta est relatio.

Primitivis temporibus, cum conventui nostro pauca adhuc exsequenda demandabantur, ad illa instituenda et ad concinnandas super his litteras, uti putamus, is certe confratrum eligebatur, qui inter ipsos rerum peritissimus atque maxime iurisprudens fuisse dignoscebatur. Litterae conventus nostri, quae e saeculo XIII dein e primis fere tribus vel quattuor decenniis saeculi XIV ad nostras manus pervenerunt, ne ullo quidem modo indicant munus scriptorium ad officium specialis personalatus ad haec constituti pertinuisse. Neque dictata litterarum quidquam continere, ac si in cancellaria aliqua essent confectae. In eis, quamvis typum unicum sequantur, tot et tantum stylaris divergentiae in partibus externis seu formularibus etiam sub prima medietate saeculi XIV animadvertitur, ut cancellaria vel modice tantum exercitata et exulta tunc exstitisse vix supponi possit.

Praxis cancellariae consequenter stricta nonnisi sub medio saeculo XIV apparet ac etiam scriba, primus nominetenus notus : Michael notarius, hoc tantum tempore obvenit. Ergo tunc primum exstiterat cancellaria conventus exstructa cum illo officiali qua ex professo tali.

Structura cancellariae posterius probabiliter frequentia causarum apud conventum magis increbrescente est efformata. Indicia de huius frequentiae amplitudine solum a medio saeculo XIV habentur. Sic e. g. vertente anno 1355 in 1356-tum 97 diebus 117 litterae sunt expeditae. Unde binae fere pro uno die numerari possunt. Decursu saeculorum XIV et XV frequentia modo increverat, ac saeculo XVI generatim loquendo iam 4-5 litterae unoquoque die expediuntur. Registrum taxarum novissimum superest ex anno 1523 ; in illo 60 litterae expeditae decursu 15 dierum annotatae sunt et novimus casum certe extraordinarium, cum una die 19 fassiones in conventu celebratae sunt. Cumque negotiorum frequentia magis augeri coepisset, ad ea, ut optime ac quanta potest utilitate, expe-

dienda iam pridem adfuerat necessitas collegii scribarum aptissime dispositi, celeriter atque facile laborantium.

Personalatum cancellariae iam sub medio saeculo XIV faciebant notarius, subnotarius et alii scribae. Ductor cancellariae erat notarius, qui suberat custodi. *Notarius* vocatur vel hoc ipso nomine, vel *litterati notarii*, aut *magistri notarii*; fuerat plerumque e statu civili, ast nonnunquam etiam aliquis confratrum hoc munere functus esse cognoscitur. Mortuo vel abeunte notario munus eiusdem ad subnotarium devenisse videtur, cum necessitas hisce casibus exposcisset hominem gnarum ac scientem consuetudinum localium, styli et praxis cancellariae. Munus suum cum iniisset, sicut et apud alia loca credibilia, iuramentum emisit fediliter se functurum esse. Ad eius officium spectet directio laboris cancellariae ac etiam participatio de eodem; porro comprehendere conceptus seu minutas litterarum, registra ducere, signaturas parare, intendere descriptioni conceptuum et instructiones dare ut rite fiant; si vero casus urgeat, descriptioni incumbere; suos sub notariorum conceptus corrigere ac illos, antequam in purum describerentur, aut descripta sigillo munirentur, coram conventu legere. Ex officio assistit sigillatione litterarum. Taxae pro litteris expeditis solutae saeculo XV et XVI sunt eius sub custodia datae. Ut breviter loquamur, ille est, qui dirigit revidetque laborem cancellariae et absolvendum et absolutum. Saepe etiam extra cancellariam fungitur, si forte necessitas id exigat. In omnibus autem praeceptis custodis se conformare debet.

Ei adiumento fuerat subnotarius. Qui saeculo XIV et XV crebro obvenit at post medium saeculum XVI rarius, tunc enim hoc vocabulum « iuratus scriba » loco eius adinvenitur. Subnotarius, uti videtur, ascendit e scribis cancellariae. Quis eorum constituatur, de hoc discernere pertinet ad praepositum. Debet in cancellaria perficere ea omnia, quae ipsi a notario impensa sunt, ex necessitate autem versatur etiam circa labores loci authentici externos. Adlaborant in cancellaria praeter notarium et subnotarium etiam alii scribae quandoque permulti. Partim confratres, partim alumni seu clerici ordinis gradu minores, ac nonnulli discipuli scholae conventus.

Tota activitas loci authentici iam anno 1355 proprio superiori subiacebat. Ipsum redactor registri sigillationum annorum 1355-56 vocat, paucis casibus exceptis, *dominum suum* / « dominus meus » /, scilicet custodem, qui ceterum *presbyter custos et conservator*, vel *conservator*, aut simpliciter *presbyter* in documentis nominatur. Eius officium pollet caractere stricte fiduciae. Constituitur et praeficitur a praeposito, cui et obligatione tenetur respondendi. Ipsi subia-

cent omnia negotia loci authentici et tota cancellaria. Aperit coram conventu litteras mandatorias a conventu acceptatas, hominibus magistratuum et conventualibus executiones perficiendas imponit. Adest cum fassiones audiuntur, similiter cum conceptus litterarum ante descriptionem praeleguntur, praecipiens quae in textu sint modificanda, aut mendas, si quae comprehendantur, esse corrigendas et litterae quoque eo praesente sigillantur. Disponit de perceptis loci authentici proventibus, quos vertit ad sublevandas cancellariae ac alias ad hanc rem pertinentes expensas. Ut ductor seu director cancellariae statuit de personalatu ex quibus designat et mittit, qui executiones externas peragant. Iterum eius est conservare et administrare archivum conventus; probabiliter inde vocatur saeculo XVI *conservator*. Ut hoc, propter postulata tantae gravitatis officium suum quam accuratissime adimplere possit, virum acutum eum esse oportuit summa iurisperitia atque auctoritate. Hoc officium est fiduciale. Eidem adnexa est paroecia oppidi Lelesz et inserviebat pro gradu ad dignitatem prioris obtinendam.

Uti totius monasterii, sic etiam activitatis loci credibilis eiusdem supremus superior proximus est praepositus 1) cum obligatione de activitate authentica coram legibus regni respondendi. Quod etiam in expeditionibus conventus exprimitur, nam in intitulatione semper ponitur nomen praepositi. Hac ex responsalitate habet ius latissimae inspectionis super activitate authentica ac in casibus gravioribus standum est pro eius arbitrio, qui processibus magni momenti etiam personaliter interesse solebat.

Cancellariae erat uti diximus omnem operam ponere in labore scribendi, ex activitate authentica conventus ut loci credibilis profluente. Proinde expeditiones eius sunt diplomata, quae acta iuridica iam perfecta continent dein relationes diversae.

Momenta confectionis litterarum fassionalium sunt: primo fassio ipsa, postea scriptio litterarum. Qua in posteriore iterum plura momenta distinguuntur. Initio post fassionem litterae profecto redactae sunt. Accreta autem frequentia negotiorum hoc non amplius insequabatur statim, sed plerumque paucis diebus posterius, quare notarius solas signaturas sibi de fassionibus parabat, quibus data pro concipiendis litteris asservarentur. Aut secundum fassiones, aut signaturas igitur conceptus litterarum redactae sunt. Deinde re-

(*) In Hungaria superiores per quos canonicae Praemonstratenses gubernari solebant, non abbates, sed praepositi dicebantur, sic et in bullis Ss. Pontificum veniunt.

visionis causa coram conventu a notario vel a custode praelegebantur, quo facto descriptioni mandatae sunt. Litterae confectae solum post solutionem taxae sigillabantur. Sigillando interfuerat cum notario vel subnotario custos, ad quem custodia sigilli spectabat. Plures simul litterae sigillabantur. Denique litterae partibus petentibus traditae sunt. De sigillatione tractantes notandum esse quoque ducimus, quod usque ad finem saeculi XV dies fassionis, econtra a saeculo XVI dies sigilationis est in litteris annotata.

In confectione relationum similiter diversa momenta distinguuntur. Ubi homines exmissi reduces facti de eo, quomodo processissent, retulerunt, relata scripto comprehendebantur, quod sequebatur descriptio relationis et antequam expedirentur, sigillatio. Hic solitus mos, antequam saeculo XVI constans factus esset, varios evolutionis gradus quoad singula momenta subierat. Initio quidem fassiones exmissorum statim scripto concipiebantur, increbescentibus autem postea casibus redactio conceptuum dilata est, annotationes vero notarius de sua signatura in dorso mandati transscripsit. Ut praxis (saeculo XVI) perfectior evasit, mos paulatim invaluit minutas relationum partiales et posthac integras in ipso mandato scribere. Desuetis aliquibus formis prius adhibitis, ineunte saeculo XVI hi conceptus plenarem idest integram formam relationum induebant, quin tamen usus signaturarum evanuisset. Mutatio autem quaedam invecata est eo, quod ipsi exmissi conventuales signaturas pro stylo suo placito ac libero componere incipiunt, quas in locum oculis obnoxium partis dorsalis mandati transcripserunt, exposit vero ab anno 1510 hoc fit in particula papyri ceram sphragi tegente, formam rutae exhibente.

Conceptus relationum eodem ac in fassionibus modo servato, coram conventu legendi erant, ut mendae si quae essent illapsae, eliminarentur. Perlectae, dein descriptae ac tandem sigillatae relationes missae sunt magistratui, aut ipsi parti extradatae. Relationes sigillabantur simul, ac et litterae fassionales. Hic annotamus diem dati esse illam, qua homo regius, ut de missione sua referret, coram conventu se sistit. Discrepans erat praxis circa textus concipiendos relationum, quae de statutionibus, metarum reambulationibus, atque de inquisitionibus maioribus conficiebantur, cum homines exmissi uberiores sibi annotationes registri instar composuissent, quarum fundamento relatio in cancellaria redacta est, ipsaeque annotationes in archivo seu conservatorio conditae.

Ut litterae aliorum locorum credibilium, sic etiam a conventu Lesziensi expeditae perscrutandae sunt quoad formam tum exter-

nam, tum internam. Ratione formae externae distinguuntur litterae privilegiales, patentes et clausae; ratione vero formae internae dividuntur in fassionales atque relationes. Diversitates formarum cohaerent cum dispositione in litteris contenta, cuius pro momento gravitatis variantur, quia de facta quadam dispositione valoris / quasi / perpetui dabantur litterae privilegiales in forma solemni, de valitura autem solum ad tempus patentes in forma magis simplici, de brevi ac transitoria vero clausae. Diversis formis obsequitur etiam maior minorve vis iura probandi.

Intuitu proprietatum externarum, litterae, quas triplici ex respectu distinximus, congruunt cum iis, quas alia fora emisserant, e contra compositio earum interna influxum demonstrant litterarum modo emissionis regiae, modo ex aliis locis credibilibus venientum. Inter varias species litterarum privilegiales inveniuntur saeculo XIII pro opportunitate aliter confectae, instante saeculo XIV formae earum sunt adhuc divergentes et solum post medium saeculum constantes. Exinde partes earum internae sic sibi subsequuntur: 1. inscriptio, 2. intitulatio, 3. salutatio, 4. arenga, 5. promulgatio, 6. contextus, 7. corroboratio, 8. datum, 9. enumeratio seu nomina conventualium. Arenga autem ac conventuales rarius leguntur. Inscriptio cum intitutioneque hanc in formam coarctatae in conspectum veniunt: « Omnibus Christi fidelibus, presentibus et futuris, presentium notitiam habituris... prepositus et Conventus Sancte Crucis de Lelez salutem in salutis largitore » Et manet haec formula — exceptis nonnullis casibus ineunte saeculo XV — etiam postea, sub aera nova. Per arengam generatim causae moventes enunciantur. Stylus partium ceterarum in privilegialibus conveniens est praxi generali istius temporis. Strictam tamen consequentiam ne quaeras, quoniam scripta concipere secundum propriam scientiam et arbitrium fuerat cuique pro lubitu, praecipue sub primitiva aera cancellariae. Roborabantur litterae omnino sigillo pendenti.

Litterae conventus nostri patentes sunt iam ab initio maioris uniformitatis, quam privilegiales, cum sint simpliciores ac frequenter datae. Ceterum constant fere omnes sequentibus e partibus: ex intitutione, inscriptione ac promulgatione, dein e contextu, corroboratio, clausula atque annotatione diei.

Intitulatio, inscriptio et promulgatio efficiunt unicam dictionem, primitus in omnibus ac singulis litteris minime consimilem, quae autem medio saeculo XIV fit stereotypa, et quidem hac in formula: « Nos... prepositus et Conventus Ecclesie Sancte Crucis de Lelez. memorie commendamus... » Mutationes nonnisi anno 1483 inveniri

possunt, inductae sub influxu conventus de Promontorio Varadiensi, plane probato. Ex hoc tempore ista vel alia formula promiscue adhibentur.

Simplicissima est forma externa litterarum clausarum, quae primae evaserunt stabiles partibus suis formularibus inter ceteras species litterarum. Intitulatio in eisdem cum promulgatione contexta est, dein sequitur dispositio atque consignatio diei, qua datae sunt. Intitulatio est : « Nos... prepositus et Conventus Sancte Crucis de Lelez damus pro memoria... » In parte dorsali clausarum est scriptum summarium continentiae earum. Sigillum et harum et patentium est illud impressum dictum.

Relationes in forma clausarum expeditae sunt. Proprietates earum exteriores conveniunt cum illis ceterarum litterarum, at partes internae modum et morem peculiarem ac singularem sequuntur. Forma relationum accomodata est formae mandatorum. Iuxta, atque haec, incipiunt formula salutationis, cui inclusa atque ipsis verbis salutationis praemissa est nominatio regis aut personae publicae ; dein fit mentio acceptati mandati, cum toto eiusdem textu de verbo ad verbum hic interserto, demum diligentissima de peracta executione relatio, per « datum » terminata. In parte externa inscripta adinvenitur aliqua formula id explicans, cui litterae relatoriae sint tradendae ; constat e titulo regis vel magistratus, cum brevi summa continentiae. Pars introductoria litterarum relatoriarum in stylo individuali differt a praxi in aliis litteris usitato. Haec introductio, sicut in ceteris litteris, solum medio saeculo XIV stabilis manet in hac forma : « Excellentissimo eorum domino... dei gratia illustrissimo regi Hungarie... prepositus et Conventus Monasterii Sancte Crucis de Lelez orationes in domino pro ipsius vita, pariterque salute... » Quae formula anno 1483 illa Váradiana per Georgium administratorem invecta repressa est. Per se intelligitur, modificationes stylores minoris momenti passim inveniri posse. Sigillum relationum est iterum istud impressum. Relationes, quae ad magistratus sunt missae solo stylo differunt ab iis, quae ad regem. Ex his omnibus concluditur, litteras et relationes conventus de Lelesz medio saeculo XIV ad formam stabilem ac novissimam devenisse, cuius rei causa in eo quaerenda esse videtur, quod eodem tempore ibi cancellaria structura systematica excolta iam exstiterat.

Deinde quod taxae a conventu Lelesziensi exigere solitas attinet, fons antiquissimus est registrum sigillationum ex annis 1355- 56. In illo taxa singularum litterarum clausarum est 1 grossus, patentium plerumque 2 grossi. Posteriorum tamen taxae pro momento rei,

de qua datae sunt, aliquando variantur. De privilegialibus in hoc registro nulla fit mentio. Taxae parium eadem sunt ac originalium.

Pro relationibus generatim tot solvendum erat, quot pro clausis, exceptis autem relationibus statutoriis atque reambulatoriis, quarum taxis taxae executionum inclusae unam totamque summam in registro faciunt. Perspectis executionibus, taxae citationum fluctuant inter 8 grossos et unum florenum, pro inquisitione vero 1 florenus erat solvendus.

Secundum aliud registrum proventuum sigillarium inter annos 1370 et 1380 compositum iam taxa clausarum aucta est in grossum unum et dimidium, patentium vero in grossos 3. Quoad relationes taxae expeditionum etiam stant seiunctae a taxis executionum; solvendum erat pro relationibus totidem ac pro clausis. Pro citatione exigebantur 20 grossi, pro inquisitionibus autem florenus 1.

Notum est nobis registrum proventuum adhuc etiam e saeculo XV exeunte, praeter hoc autem conceptus, mandata atque registra indicia praestant de taxis loci credibilis conventus nostri. Comperitur in his taxas esse denuo auctas: pro patentibus, quae non de iuribus possessionariis sunt datae, erant solvendi denarii 24, pro clausis 12, respective 16 denarii. Taxa parium litterarum denarii 24-32. Taxa fassionum, iura possessionaria concernentium crescebat secundum valorem seu pretium, de quo in litteris agebatur, certis quippe e partibus pretii centesimis. Taxae relationum additae iis executionum iam faciunt unicam summam. Et quidem taxa pro evocatione erant denarii 16 respective 24, pro inquisitione 24, pro statione casu contradictionis 24, nullo autem contradictore exsurgente denarii 100, pro metarum reambulatione vero 24. Pro asservandis depositis pecuniariis ut taxa solvebatur nona vel decima pars summae depositae.

Praeterquam, quod indicia ad taxas saeculo XVI vigentes se referentia passim e documentis colligi possunt, etiam duo registra taxarum supersunt. Taxae saeculo XVI leguntur sequentes: patentium denarii 66, clausarum vero 16. Taxa privilegialium etiam hoc tempore dispares fuerunt, habentur enim litterae huius speciei, pro quibus 1, item aliae pro quibus 50 floreni sunt soluti. Parium litterarum atque transsumptorum taxa erat denariorum 33-66. Ex relatoriis taxa evocatoriarum vel statutoriarum erat 66 denariorum. Requisitionis denarii 66, pro diurno vero conventualis exmissi denarii 12 erant solvendi. A saeculo XV praeter has taxas alia quoque praemia pro notariis exigere contendebant.

Proventus taxarum loci credibilis administrabat et in indice seu registro referebat custos, vel cui haec ab ipso commissa sunt. Personalatum adlaborantem de proventibus participavisse certum est, sed quibus pro ratis ac quibus temporis spatiis, de hoc non constat.

Ut inita facta iuridica vigerent tuta, ac simul textus litterarum servarentur incolumes, diversum diversis temporibus fuisse modum et morem collegiorum diplomatibus expediendis. Summi momenti erat mos chirographa parandi et registra scribendi. Chirographa primitus adhibita sunt loco sigilli, cum taliter litteris paria earundem facile componi potuissent. Posterius chirographa scribebantur solum ad conservandos textus originales. Hic mos praesertim saeculo XIV et usque ad medium saeculum XV in conventu nostro retentus est.

Registra scribere est modus conservandi litteras chirographis multo perfectior, quia cum chirographari non omnes et singulae solebant, e contra in registris omnes litterae referuntur. Transitus autem a chirographis ad registra non fuit per saltum, neque apud omnia collegia eodem tempore.

In conventu Lelesziensi instante saeculo XV registra incipiunt. Fragmentum registri litterarum antiquissimum superest ex anno 1418, ex anno verum 1420 habentur duo folia tantum. Deinde ad annum 1450 talia desunt; abhinc autem totae series fragmentorum sequuntur. Integrae series fragmentorum annuae nonnise a saeculo XVI exsistunt. Hoc iam tempore tres classes registrarum distinguere possunt:

1. Registra sensu proprio sive protocolla,
2. registra inquisitionum et
3. registra signaturarum fassionalium.

In prima classe conceptus litterarum continentur, in secunda summaria relationum, in tertia demum data seu minutae ad concipiendas litteras inservientia.

Horum ea sola sunt vera registra, quae sub prima classe memoravimus, quae vero sub secunda, sunt tantum attentata ne continuata quidem, et quae sub tertia, illa sunt suppletoria (praeparatoria) primorum, quibuscum adeo arcte connectuntur, ut simul cum illis sint tractanda.

Radices ambarum specierum reducendae sunt ad signaturas fassionum et ad conceptus secundum has signaturas redactos. Alteraque registra introducta sunt eum ob finem, ut quam maxime conducant ad bonam distributionem laboris cancellariae. Notulae seu

praeparata conceptuum in particulis pergameni vel papyri decisis ac deiectis scribi solebant. Decursu temporis intellectum est has notulas esse alicuius momenti, quod textum litterarum servassent, quare reconduntur, quo volenter fiunt registra, etquidem vertente saeculo XIV in XV.

Vetustissimum fragmentum huiusmodi registri mansit ex annis 1418-20, folia numerans 12. Acta in his et ceteris contenta consequenti insertionis uniformitate adhuc carent, ac modo solas signaturas, modo textus integros exhibent, aliquando etiam cum partibus formularibus, plerumque autem absque illis. Iam amplior adest copia registorum, quae remanserunt a temporibus post medium saeculum XV. Tum vero registra mutant formata sua et iuxta registra parva proveniunt sic dicta registra maiora, cum foliis duplae extensionis. Continentia autem eorum manet eadem usque ad finem saeculi istius. Ut vero incommoda eliminentur, separantur a conceptibus signaturae quae post hac referuntur in registro formati minoris, dum registro maiori (maxime) conceptus litterarum inseruntur.

Signaturae registri parvi initio nullum certum systema produnt, saepenumero etiam annotatio temporis seu dati eisdem deest. Posterius autem hoc nunquam neglectum diversis modis adhibitis subierat. Ab initio saeculi XVI stat annotatio diei seu dati in exordio signaturae et exponitur in sola prima eodem die scripturam, unde est ut incipiant vocibus « item » aut « eodem die ». Intermissio circa annum 1517 registro parvo, signaturae inveniuntur aut in registro maiore, aut iterum in particulis chartae decisis. Anno vero 1560 registra parva seu signaturarum rursum veniunt et permanent usque ad annum 1726.

Registra sensu proprio dicta solum in maiore formato erant usitata ab illo tempore, cum exeunte saeculo XV reformationes in cancellaria inductae sunt. Inde ab anno 1519 complura existunt in libros compacta iamque non amplius registra, sed protocolla nuncupantur. Continent plerumque conceptus litterarum absque partibus formularibus, post annum vero 1511 — demptis paucis exceptionibus — consequenter textus integros ex aliis conceptibus ibidem in purum descriptos.

Triplex modus in more registra scribendi adhibitus inveniri potest ad annum 1569. Primus sub primo decennio saeculi XVI viguit. Conceptum litterarum emittendarum scriba secundum signaturam de fassione paratam redegit in quodam papyro. Concep-

tus post correctionem relatus est in registro, deinde coram conventu lectus, quando, si necesse fuerit, iterum emendatus ac postremo de hoc textu, finaliter probato describebantur ipsae litterae, petentibus tradendae.

Ex anno 1519 augentur casus, cum immediate ex annotationibus signaturarum conceptus in registro rediguntur. Morem hunc probant correctiones, atque diversimodae commentationes ad singula acta in protocollis horum temporum inventa. Hic mos viguisse comperitur ad annum 1550, promiscue tamen cum supra memorato. In cuius locum usu receptus est usque ad annum 1569 novus modus, iuxta quem scriptum concipitur prius in aliqua pagina separata et ubi primum coram conventu lectum ac pro necessitate correctum est, conficiuntur litterae et tantum post haec omnia in protocollo referuntur. Ab anno 1570, quando hic mos evanuit, rediguntur conceptus directe in protocollo, quae consuetudo in praxi cancellariae Lelesziensis perduravit ad medium saeculum XIX.

Registra ducit notarius, praeter illum subnotarius pro maiore parte operam dat registris scribendis, ac contigit etiam, ut aliis quoque personis talis labor demandatus esset. Ordinarie et omnino penes notarium est sola confectio signaturarum fassionalium, conceptus autem elaborare ac describere pertinet ad officium subnotarii vel alius scribae semper autem ductu notarii. Registra faciebat ipse notarius plicando atque consuendo plura folia. Compactio fit posteriore solum tempore, quare id moestum accidit, ut magna pars sertorum non compactorum decursu temporis accretorum deperiissent vel pro meliore casu manca, defecta remansissent. His autem ut pro futuro praecaveretur, inducta sunt registra iam antea compacta. Ad materiam veterem ut ab interitu vindicaretur, tantum instante saeculo XVIII attentum est, ac simul praeceptum, ut ista moles scriptorum ordine digereretur. Hoc autem opus etsi diu molitum sit, tamen nec accurate, neque utiliter est perfectum. Id solum conati sunt, ut totum in libros eadem amplitudine aequales divideretur et dimetiretur. Divisio ipsa ita est peracta, ut omnis materia, quae erat eiusdem formati ac registrum parvum, sine ullo respectu habito quoad continentiam, in unicum volumen sit compositum, cui nomen deinceps *Protocollum Parvum* est inditum; e registris vero formati maioris materiam usque ad annum 1569 complectentibus sunt compacta octo volumina, quae unacum illis septem, ab origine suo integris et ab anno memorato scribi inceptis nomen *Protocollum Authenticum* gerunt. Tum simul compacta sunt et registra signaturarum

ducta ab anno 1560 et nominantur ex hoc *Libri Signaturarum Notarialium*. Etiam hodie stat in archivo regnicolare conventus Lelesziensis totus complexus registorum iuxta has tres species dispositus atque sub his inscriptionibus notus.

Asservatis e mandatis, conceptibus ac registris, pariter et litteris a partibus custodiendi causa depositis succreverat magna moles scriptorum. Etiam in monasterio Lelesziensi, sicuti et aliis in locis, sacristia fuerat pro archivo, locus quidam in imo turri, porta ferrea instructus, unde aevo noviore ad alium locum est translatus. Ibi dem conservabatur et thesaurus ecclesiae atque sigillum conventus. Illae autem litterae, quae stricte ad iura ipsius monasterii referuntur, sunt alibi delatae.

Conservator et administrator archivi fuerat custos. In casibus requisitionis investigavit levavitque, quae erant quaerenda. Medio aevo generatim omnia archiva, sic etiam Lelesziense manibus violentis obnoxium erat. Eam ob rem aliasque temporum iacturas permultae litterae deperierant. Damno quoque erat integritati materiae mos ille praepositorum archivum (saltem partem eiusdem) atque sigillum per longinqua itinera (e. g. in bella) secum portandi. Intra fines officii loci credibilis vigeat etiam certa cura archivistica, ut expeditio parium et transsumptorum atque acceptatio litterarum aut summarum pecuniarum deponendarum. Quae vero circa talia fiebant a consuetudine ceterorum collegiorum similium nihil differabant.

Quo et finem ponimus, notitias, uti intendimus, ad summos apices dandi de praxi conventus nostri circa diplomata expedienda, sub primo huius rei aevo, prope quattuor per saecula durante, sustenta. Anno 1569 conventus desiit esse Praemonstratensium et exinde usque ad annum 1699 praelati saeculares, commendatores dicti habuerunt et administrabant monasterium, quorum sub regimine nullus progressus, quinimo decadentia locum cepit, nec mirum, cum ob rerum discrimina turbulentis illis temporibus beneficio suo Lelesziensi vix frui commendatores potuissent. Novus impulsus institit solum, ut primum anno 1699 Praemonstratenses hanc suam sedem pristinam sibi recuperaverunt. Et tenent eam ex illo tempore — annis abolitionis Iosephi II abstractis — usque ad hodie diem, ac firma nobis inest spes, sint tempora pro momento quam obsecunda, fore ut divina clementia etiam per futura saecula conservet pro nostro Ordine saepia huius monasterii historica et filii Sancti Norberti fovendi cura ac pia dilectione et in posterum custodient

archivum, hoc receptaculum opulentissimum thesaurorum historicorum, reliquias conventus Lelesziensis quondam loci authentici copiosas.

Gödölö

Dr. Bernadus L. KUMOROVITZ

* * *

LE DERNIER ABBE DE PREMONTRÉ
JEAN-BAPTISTE L'ECUY -:- -:-

Entre Sedan et Montmédy, non loin de la fameuse abbaye d'Orval, et tout près de la colline de Saint-Walfroy, sur les bords de la pittoresque rivière de la Chiers, s'élève la petite ville de Carignan. Cette appellation est toute moderne, elle date de 1662, année où Louis XIV érigea en duché, dont le premier titulaire devait être le prince Eugène-Maurice de Savoie-Carignan, l'antique cité d'Yvois, et, par le même acte, changea son nom en celui de Carignan. La ville, ainsi rebaptisée, s'honore d'avoir donné, à la fin du VI^e siècle, un évêque à Cambrai, saint Géry, demeuré le patron de ce diocèse, et au XV^e, un défenseur éclairé, éloquent dévoué à la cause de Jeanne d'Arc, en la personne de Jacques Gélou, successivement archevêque de Tours et d'Embrun, en même temps que conseiller écouté de Charles VII.

Yvois-Carignan fut encore, au XVIII^e siècle, le berceau d'un prélat pieux et savant, qui devait être le dernier Abbé général de Prémontré, chef d'ordre des chanoines réguliers fondés par saint Norbert, vers 1120, dans un val du Laonnais, et destinés à une expansion et à une fécondité d'œuvres si merveilleuses pendant les siècles du moyen âge.

Particularité assez curieuse, ce prélat, connu sous le nom de L'Ecuy, qu'il avait adopté et dont il signa ses nombreux ouvrages, s'appelait, en réalité, Lécuyer, comme le prouve le texte authentique de son acte de baptême, relevé sur le registre paroissial conservé à la mairie de Carignan :

« Le 3^e juillet 1740 est né et le même jour baptisé Jean-Baptiste, fils de Martin Lécuyer et de Marguerite Lambert, sa femme, et ses père et mère, qui a eu pour parrein Jean-Baptiste Husson, marchand de cette ville, et pour marreine Martine Rouelle, qui ont signé avec nous vicaire. H. Noël.

« J.-B. HUSSON, MARTINE ROUELLE ».

La chute de la dernière syllabe du nom de Lécuyer est due